



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Raymundus de Peñafort. Frequens usus Confessionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. RAYMUNDUS de PEÑAFORT.

Frequens usus Confessionis.

Deus, qui B. RAYMUNDVM, Pœnitentiæ ministrum insignem elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti, da nobis dignos fructus pœnitentiæ facere, & ad portum salutis æternæ pervenire.

Ora pro Confessariis,

✠

RAYMUNDVM Barcinonensem, ex nobili familia de Peña-forti, humaniori literatura, jurisque civilis atque canonice peritia optime instructum, ac doctorali laurea insignem, Bononiæ reperit Episcopus suus Berengerius: ac multis cum precibus reduxit in patriam, & ut ibi Canonicus atque Præpositus crearetur effecit. Tum caduca omnia despiciens, Ordini Prædicatorum tradidit an. 1222, æt. 45, in eoq; sanctissime vixit usq; ad obitum, qui fuit 6 Januarii 1275, æt. 98. Emicuit in eo magna erga omnes præsertim captivos caritas, ex quo dignum illum Deus habuit, qui cum Jacobo I Aragonum Rege, cui à Confessionibus erat, similiter divinitus impulso, Ordinem S. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum institueret, sub S. Petro Nolasco primo illius Generali, cui & Regulas scriptas à Gregorio IX probatas. Post ab eodem Romam evocatus, factusq; Confessarius & Pœnitentiarius Papæ, Decretalium volumen collegit, & biennium functus est munere Generalis Magistri: quo deposito in patriam rediit, Inquisitor Apostolicus, vita atque post mortem clarus miraculis.

Misereris omnium (Domine) & dissimula peccata hominum propter pœnitentiã. Sap.